

mur residere barrochiis aut civitatibus, pro quo et destitutio divini cultus et predicatio in plebibus et cura subiectorum negligitur; praesertim cum nec sacerdotali ministerio huiusmodi congruant discursus nec canonice^a sit auctoritatis.' 'Legitur¹ enim in Africano concilio capitulo LXII concilium universale non nisi necessitate faciendum. Item in eodem: nec episcopi diutius in concilio teneantur. Legitur etiam in ecclesiastica historia, quod cum Iulianus destitutionem religionis Christi vellet inferre in ecclesia, festinabat presules ecclesiarum a civitatibus distrahendo suspendere, ut eorum absentia solveretur ecclesia, et dum qui docerent, non essent, per hoc longo tempore paterentur populi proprie religionis oblivionem.' Illud etiam obnixè vestram piissimam^b sanctamque devotionem supplicenter monendo deposcimus, ut ob amorem et honorem Dei et anime vestrae salutem erga res ecclesiarum², quae precia peccatorum et patrimonia^c pauperum, quas viri religiosi pro redemptione animarum suarum ob amorem Dei ecclesiis^d contulerunt, et nunc a pravis hominibus distrahuntur et iam maxime distracte constant esse, vestra imperialis intentio corrigendo et emendando invigilet. Agite ergo, piissime domine, quod fidelissimi vestri pro salvatione animae vestrae et honore sanctae ecclesiae atque honestate et stabilitate regni vestri vobis^e iure debito monere conantur, quatenus et nosmetipsos salvare populoque vobis et nobis commisso utiliter prodesse atque pro vobis et stabilitate imperii vestri liberior valeamus exorare. Si enim ad ea, quae rationabiliter moneamus, vestra clementia vigilaverit, credimus quod ad pietatis statum vestra intentio nostraque devotio Deo cooperante possit pervenire.

^a) canice *Hs.* ^b) piissima *Hs.* ^c) patrimonia *Hs.* ^d) ecclesias *Hs.*
^e) iubis *Hs.*

¹) *Ibid.* 4, 526 Z. 33—38. ²) *Diese Stelle klingt an denselben Brief des Paulinus an, in dem es heißt (MG. Ep. 4, 526 Z. 14—16):* Res ecclesiae, quae vocatae sunt [vota] fidelium, pretia peccatorum et patrimonia pauperum, quibus fideles fidei ardore et Christi amore succensi ob animarum suarum remedium... sanctam ditaverunt ecclesiam. *Doch finden sich die Ausdrücke res ecclesiae, vota fidelium, pretia peccatorum et patrimonia pauperum auch schon bei Julianus Pomerius, De vita contemplativa II c. 9 (Opp. Prosperi append. 32), vgl. das Zitat im Aachener Konzil von 816, MG. Conc. 2 357 Z. 14f. Auch Pseudo-Isidor verwendet sie, Ep. Urbani cap. 4 ed. HINSCHIUS S. 144.*